

Cap. V. Rubrica de foro competenti et de cognitione dominii. R.ca.

Ex antiqua consuetudine observata statuimus quod quelibet persona civis vel habitatrix Tergesti vel forensis, habens possessiones vel bona fixa in civitate vel districtu Tergesti, teneatur et debeat respondere coram dominio Tergesti, si questio aliqua fieret eidem de dicta possessione, et dominium // Tergesti teneatur cognoscere dictam questionem et eam diffinire; et etiam audire et diffinire debeat quamcunque questionem vertentem inter cives et habitatores Tergesti nomine et occasione alicuius possessionis etiam scite extra districtum Tergesti, et ipsi cives vel habitatores Tergesti dictam questionem facere debeant coram dicto dominio Tergesti, et contrarium allegantes cadant ad penam valoris medietatis dicte possessionis, et nichilominus illorum allegationes sint casse et vane et nullius valoris. ¶ Item ordinamus quod per dominium Tergesti, quocienscunque fieret questio alicui subdicto iurisdictioni Tergestine de decima sive retentu ipsius, cognoscatur et diffiniatur. ¶ Preterea volumus quod quelibet persona civis vel habitatrix Tergesti, que contraxerit cum aliquo cive vel habitatore Tergesti contractum cuiuscunque condicionis, teneatur et debeat uti iuribus suis contra talem personam coram dominio Tergesti tantum. ¶ Salvo si dicta persona obligata se abscentaverit de civitate Tergesti, tunc possit conveniri ubi eum invenerit, et dominium loci ubi citatus seu inventus fuerit dictam questionem audire possit.

Cap. VI. De libelli oblacione et litis contestacione. R.ca.

Firmamus presenti statuto quod, reo conparente in iudicio, per actorem ei // offeratur petitio sive libellus¹⁾ in scriptis; et reo per dominium detur terminus ad habendum copiam petitionis et opponendum vel respondendum. ¶ Et de quolibet

¹⁾ libellis.